Quibus in vocabulis meá quidem sententia nec vis nec forma nec argumenta historica documento esse possunt ad quaenam tempora pertineant. Rebus enim per se consideratis et plantae et animalia, de quibus hoc loco agitur, ex Indogermanicis vel Graecoitalicis temporibus Romanis nota esse possunt, possunt a Graecis illata esse. Tota quaestio ex eo pendet, quomodo primum Indogermanici populi peregrinatio ex Asia in Europam posteaque Graecoitalici in ipsa Europa facta sit. Quodsi uno impetu, satis apparet homines migrantes neque plantas illas, quibus magna cura danda est, neque columbas

— de leonibus, qui omnino non comites asciscuntur, postea dicetur — secum ferre potuisse, sed cum Graeci et Romani singuli populi facti suas sedes occupaverunt, tum demum res illas aut a populis Asiae iis allatas esse aut in ipsis novis sedibus occurrisse. Quod quidem ita plerumque fuerit, ut primum apud Graecos deinde apud Romanos res notescerent. Sin autem peregrinatio paulatim processit, ut brevi migratione facta sedes quaedam a migrantibus aliquamdiu tenerentur, contra fieri potuit, ut res et nomina aut ex antiquissimis temporibus servata aut ipso spatio interiecto cognita et in Graeciam et in Latium afferrentur. Quod ad leones attinet, haec sunt consideranda. Erant bestiae eae in Asia, erant certe in regionibus a populo Indogermanico et Graecoitalico peragratis, erant in Graecia et in Italia. Ubinam et quando igitur Romani eas cognoverunt? Triplex huius rei ratio esse potest. Aut enim iam in antiquissimis sedibus aut in peregrinatione demum aut in Italia denique factum est. Quodsi eo tempore evenit quo quidem nondum Romani appellandi sunt, nomen et Latinum et Graecum ad fontem communem spectat; sin in Italia, sane quidem nomen Graecae originis esse potest ex Apulia a Graecis quondam habitata in Latio pervagatum. Quorsum haec spectat omnis oratio? Neminem esse, qui de rebus ita comparatis certum aliquid proferre possit; Calchante opus esse ‘ὃς ᾔδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα’.

At formae? Nonne ipsae per se satis indicant ad quaenam tempora voces referendae sint? Indicarent quidem, si formae, quales hodie inveniuntur, rem integram repraesentarent. Itaque ‘oleum’, ‘oliva’, ‘leo’, ‘columba’ sicuti sunt ex Indogermanica lingua esse non possunt, cum sonus ‘o’ (cf. Curt. die Spaltg. d. A-Lautes. Ber. d. sächs. Ges. d. Wissensch. 1864) post demum aetatem Indogermanicam prodiret. Sed cum minime compertum habeamus, utrum voces tempore quodam statim ipsas illas formas acceperint, an post varias tandem vices ita extiterint, res etiam hic haeret.

Argumenta denique historica non maioris momenti sunt. Nam si Hehn ad ‘olivae’ originem demonstrandam locum

affert[1]) Plinii XV, 1, 1 "Fenestella vero (aiebat oleam) omnino non fuisse in Italia Hispaniaque aut Africa Tarquinio Prisco regnante ab annis populi Romani CLXXIII", nonne satis constat quemadmodum antiquissimi scriptores, ex quibus Fenestella, quamquam ipse quidem diligens auctor, hauserit, res confinxerint? Quo loco res eiusmodi Tarquinii temporibus essent, aeque ac nobis illis incompertum fuit. De 'columba' Hehnii argumentatio historica est[2]): "verisimile esse per Veneris Erycinae sacrificia hoc animal ad Romanos venisse". An quia in monte Eryce columbae Veneri sacrae erant, idcirco fieri non potuit, ut ipsi Romani ex antiquissimis temporibus columbas haberent? Minime igitur quod Hehn protulit, quamquam accidere quidem potuit, tam veri simile est, ut aliud quid cogitari nequeat. Hactenus de hoc genere tam lubrico.

Secundi generis sunt:

patina, carcer, catinum.

'Patinam' Momms. Röm. Gesch. I, 200 e sermone Latino in linguam Siculorum abisse censet, Curt. Grundz. no. 215 tralationem suspicatur. Saalf. ind. p. 61 vocem assumpsit. De 'catina' et 'carcere' viri docti non multum quaesiverunt; apud Saalf. non afferuntur. Quae cum apud posteriores demum scriptores Graecos partim appareant, partim apud comicos tantum, tam a Graecis ad Romanos quam e lingua vulgari Siculorum ad Romanos venisse existimari possunt. Falluntur certe, qui rem diiudicari posse arbitrantur. Videamus enim paulo accuratius de 'patina'. Affertur 'πατάνη' (cf. Poll. VI, 90; X, 107) ex Epicharmo et Sophrone[3]); 'πατάνιον' ex Eu-

---

1) Ceterum ipse Hehn monet Fenestellam locum fortasse Herodoti in hac re respexisse.

2) Saalf. ind. p. 15 vocem assumpsit et Hehnii verba "Italien machte mit der Haustaube wohl durch Vermittelung des Tempels von Eryx zuerst Bekanntschaft" ita reddidit "per Veneris Erycinae sacrificia κόλομβοι in Italiam migraverunt." Verbum 'wohl' a Hehnio caute additum neglexit. Pessimum factum in litteris de rebus, de quibus alii ut de veri similibus tantum dixerunt, iam pro parte sua tamquam de certis referre! Quod non monuissem nisi saepius occurreret.

3) Nicocharem mitto. Nam si apud Poll. X, 107 est 'καὶ Νικοχάρης

bulo, Antiphane, Alexide; '*βατάνιον*' ex Hipparcho. Quorum cum antiquissimi Epicharmus et Sophron in Sicilia insula suas comoedias scriberent, quidni Latinas voces praesertim in rebus ex usu vitae Romanae petitis, ad quas significandas fortasse ne Graeca quidem nomina habebant, usurpaverint? Quidni scriptores, qui post eos floruerunt, voces iam Graecae linguae proprias habuerint atque etiam deminutiva ex iis formaverint? Cogitari etiam potest 'patinam', et rem et nomen, quamvis origo peregrina esset, tota Graecia apud populum quoque sensim innotuisse. Contra vero ipsis illis comoediis in Sicilia conscriptis Graecum quidem '*πατάνη*' in linguam Latinam facile traduci potuit. Saalfeldio scilicet 'manifestum est ex Graeco duci patinam': equidem in rebus incertis non tam credulum me praebeo.

Tertii denique generis sunt:

fenestra, pituïta, aura, supparus, modius, muria, taeda.

Ex his Curt. Ber. d. Vers. deutsch. Phil. Hmbg. 1855 'fenestram' satis certe tralatam existimat, 'pituitam' modo suspicatur. Utramque vero vocem, quamquam de 'fenestra' Curtii sententia valde me arridet, eam ob causam in medio relinquendam duco, quod Graecae voces '*φαινεστρα*' et '*πιτυιτη*' extant nullae. Ceterorum vocabulorum condicio non minus lubrica est. 'Aura' potest quidem esse ex Graeco '*αυρα*', potest etiam esse ex Graecoitalicis temporibus; 'supparus' est fortasse a 'sub' et '*φάρος*', fortasse autem a radice aliqua Latina, quae aetatem non tulit; 'modius' et '*μέδιμνος*' facile componuntur, praesertim cum plura huius generis ex Graeco sint (cf. Momms. Röm. Gesch. I, 209), at non minus 'modius' et 'modus'. Similiter 'muria' provenire potest ex Graeco '*ἅλμυρίς*'; sed quidni ex radice Latina nobis ignota? 'Taeda' ex accusativo Graeco '*δαίδα*' (cf. Jhb. f. Phil. 90, 11 et 93, 11) nasci potuit; sed non minus cum

---

δὲ ἐν Λεμνίαις, εἴρηκεν, κακάβους· καὶ πατάνη δὲ καὶ πατάνιόν τι ἐκπέταλον λοπάδιον' cet.; minime cum eo, qui in editione Lederlini Amsteld. MDCCVI versionem Latinam fecit et Saalf. 'καὶ πατάνη' cet. cum antecedentibus cohaerere mihi videtur. Novum aliquid inducitur.

Corss. (cf. Ausspr. I, 273) de radice Latina, de 'taeda' pro 'tavida', cogitari potest.

Quae cum ita sint, mihi quidem nihil certi de rebus et vocibus horum trium generum statui posse videtur. Missa igitur faciamus quae detegi non possunt: 'est modus in rebus'.

Caput V.

De iis quae ob textum vel auctorem incertum omisi.

Expositis iis, quae ab causas in rebus positas aut accipienda aut excludenda aut in medio relinquenda duxi, superest ut ea vocabula commemorem, quae ob causas extra res positas, cum textus vel auctor incertus sit, segreganda sunt. Quae fere omnia non deerunt quidem in enumeratione, quam mox daturus sum, cum in locis quoque extent, qui dubitationem non movent. Cum vero mihi etiam propositum sit enumerare, quotiens unumquodque vocabulum inveniatur, haec expositio de repetitione omissa haud ab re erit. Longum est ubique rationes afferre, quibus de editoribus doctissimis ut dissentirem adductus sum; ubi vero res gravior videbatur eas expromere non neglexi. Singula vero, quae reieci, haec sunt [1]):

---

1) Quae facile ut conferantur, iam hoc loco editiones, quibus usus sum, afferam:

Livii Andronici Odyss. reliquiae ex rec. O. Güntheri. Greiffenberg 1864. 4.

Naevii de bello Punico reliquiae ex rec. J. Vahleni.

Plautus Trin. Mil. gl. Bacch. Stich. Pseud. Menaech. Most. Pers. Merc. ex rec. Ritschelii.

Epid. Poen. Cas. ex rec. Gepperti.

Truc. edd. Spengel.

Aul. edd. Wagner.

Amph. edd. Holtze.

Asin. Rud. Curc. Capt. ex rec. Fleckeiseni.

Cist. et fragm. ex rec. Bothii.

Ennianae poesis reliquiae rec. J. Vahlen.

Tragicorum Latinorum reliquiae } rec. O. Ribbeck.
Comicorum " " }

Terentius ed. Umpfenbach.

Poetarum Latinorum Hostii etc. scripsit Weichert.

Ex Plauto

Trin. aethereus[1]) 820; hercle[2]) 885, 1023.
Mil. cryphiolatronia[3]) 43; hercle[4]) 878; hereuta[5]) 217; pol[6]) 290, 656, 1064; eu[7]) 1163.
Bacch. pol[8]) 558; edepol 1100; logi[9]) 519; euge[10]) 760, 979; morus[11]) 1089.

Veterum historicorum Romanorum reliquiae disposuit H. Peter.
Oratorum Romanorum fragmenta collegit H. Meyer.
Catonis praeter librum de Re Rustica quae extant rec. H. Jordan.
„ de Re Rustica edd. J. Schneider.

Varietas editionum in Plauto adhibitarum eo excusetur, quod Ritschelii illa nondum perfecta est; veterum unam quamvis perfectarum cur adhibere noluerim, peritos non fugit. Benoisti editiones singularum fabularum nancisci non potui.

1) aethereus R. et nerei libri. Equidem neutrum in meum usum converti, cum locum valde corruptum habeam. Ceterum lectione 'et nerei' probata nomen proprium habemus; nomina autem propria a meo consilio aliena sunt.

2) hercle 885 add. R.; 1023 fecit ex 'eorum' librorum.

3) Ex vestigiis Ambrosiani ex quibus R. id restituit et ex aliis codicibus (cf. Ritschelii annotationem) mihi tantum 'latro' vel 'latronia' pro certo evadere videtur. Ceterum etiamsi recte coniecit R. vocabulum ab ipso Plauto iocose fictum esse satis apparet.

4) R. add.

5) Plurimi cod. anheriatus, unus anhelitatus, duo an heritatus. heureta vel ut libri praebent heuretes pro certo extat Pseud. 700. Huc quoque vocem revocare ingeniosum quidem at minime certum. Pyladis 'feriatus' propius ad verum accedere mihi videtur. De servo in verba domini non audiente optime dictum est.

6) Non extat in libris.

7) R. effecit ex vestigiis satis incertis codicum. cf. eius annotationem.

8) pol 858 R. add. versum 1158, qui in B non extat, R. uncis inclusit. Itaque 'edepol' non respexi.

9) A habet IOCOS reliqui iocum. Hermannum secutus logos scribens num R. poetae manum restituerit dubito. Quamvis enim correctio levis sit, in codicum scriptura offensionem amovendam non video. Ad 'sepulcrum' enim illius versus, si in universum, quod ab hac voce certe non abhorret, ad sepulturam spectat, ioci illi more Romanorum optime quadrant. Neque minus ad totum locum conveniunt. Dicit enim Mnesilochus blandimenta ad Bacchidis rem nihilo plus referre quam ioci

Stich. parasitus[1]) 225; conchyliatus[2]) 378; hercle[3]) 459, 666; euax[4]) 594; pol[5]) 672.

Pseud. hercle[6]) 104; conchyliata[7]) 147; mininus[8]) 329; sucophantiae[9]) 485; euge[10]) 1175; sucophantia[11]) 1193; lemnisci[12]) 1265.

Men. hercle[13]) 98, 453, 903; edepol[14]) 292; pol 1069.

---

ad rem mortui, i. e. sicut ioci illi nihil valent ad hilaritudinem vitae resuscitandam, ita blandimenta, quae olim, cum dives esset, aurum sibi eliciebant, non amplius ad aurum eliciendum valebunt.

10) 760 fugiamus libri. 'Euge' Ritschelii laetitiae est: nihil autem laetitiae hoc loco video. Adhortatio aptior est; praetulerim 'age eamus'. 979 euge a R. additum; quo iure hoc quidem vocabulum mihi non perspicuum est.

11) Libri indoctis.

1) Versus 225 'interpretamentum est' R.

2) Ex eo quod A praebet ... TONSILIATA ... et ceteri codices silla vel sella antecedente peristromaton potius Bergkii 'tonsilia' evadere videtur.

3) R. videtur addidisse.

4) Codices habent vel ut vel ve vel vae vel vę sequente aetati tuae (Z tuę). '— ATITUAE visum est in A quoque exstare'. Ex quo R. euax attatae.

5) Ipse R. uncis inclusit.

6) BCD haec (vel hęc) hac Z. 'hac' non improbandum mihi videtur.

7) consiliat appetia B, consuta tapetia FZ. De aliis codicibus, qui idem fere ac B habent cf. Ritschelii annotationem. Correctionem incertam duco.

8) Ingeniose quidem correctum ex scriptura ac ninis B, ac nimis C (de ceteris cf. annot.). At cum nusquam alibi hoc vocabulum inveniatur, res incerta est.

9) Versus uncis inclusus a R. "ut qui redeat post v. 527 ubi aptior ei locus".

10) Libri non habent.

11) Libri fallacia.

12) lemniscos iam Aldina. Codices lentiscos. In ea sum sententia nos rerum et vocum, quae ad vitam privatam Romanorum pertinent, non tam esse gnaros, ut hic iudicium feramus. 'Lentiscus' plane linguam Latinam sapit; in hoc requiescere possumus.

13) R. add.

14) R. add.

Most. hercle[1]) 174, 798, 1012; pol[2]) 222, 744; purpura[3]) 286; gry[4]) 595; chorda[5]) 743; eu[6]) 842; apage[7]) 846.

Pers. hercle[8]) 41; sisura[9]) 97; blenna[10]) 169; edepol[11]) 617.

Merc. hercle[12]) 134, 971; pol[13]) 715.

Epid. mina[14]) 357.

Truc. obsonium[15]) 2, 4, 91; aurichalcum[16]) 2, 6, 57; tus[17]) 2, 6, 59; pera[18]) 3, 1, 19; mina[19]) 5,

---

1) R. add.

2) R. add.

3) Extat in versu recte ut mihi videtur a Plautinis segregato a R.

4) Cod. nec erit quidem. Acid. ne gry quidem. Egregia emendatio attamen ad nostram rem non satis certa.

5) Codices cor tenditur inde ferit iterum. cf. quae de hoc loco in capite primo disputavi.

6) E recte cum ras. B; Erecte CDa; Et recte Dc. 'Et recte' recte scriptum mihi videtur; cur ad 'eu recte' Ritschelii refugiendum sit non intelligo.

7) In reconcinnandis versibus 845—48 a R. additum videtur.

8) nunc libri. In Ritschelii 'hercle' vis quaedam sententiae aptissima est; sed 'nunc' quoque minime friget. Codices igitur sequamur.

9) Ex 'iure amesse ius' et similibus codicum lectionibus R. fecit sisuram esse ius. Camerarii iuream esse ius magis ad libros accedere videtur. Adde quod 'sisura' nusquam alibi apud Plautum extat.

10) Libri rustica.

11) Non est in libris.

12) 134 ere te CD. here te FZ. 971. Codices ergo.

13) R. addidit.

14) Acid. et Gepp. versum interpolatum recte existimare videntur.

15) A Speng. additum est. Recte quidem est deesse aliquid et 'obsonium obsonare' ex usu esse Plautino, attamen nihil impedit, quominus aliud quid exciderit. Ceterum ipse Speng. vocem uncis inclusit.

16) Speng. aur[ichalc]o. auro BCD. Codices non spernendi videntur.

17) Speng. tus Ponto amoenum. tuas ponto amoenas CD. tua sponte amoenas B. Si tus quoque dono dedisset Phronesio Stratophanes, veri similius est illam (cf. Spengelii annotationem) versu sequente non 'accipe hoc' sed 'accipe haec' dicturam fuisse. Nonne fortasse tibi mecum lectio placet tua sponte amicias? i. e. utaris purpura ex Sarra allata (cf. versum antecedentem) ac velis.

18) Speng. pera. perpera CD. Equidem 'perperas' (minas

21; philippiaris[1]) 5, 36; hercle[2]) 5, 66.
Poen. edepol[3]) 422; agora[4]) 1302.
Cas. ne[5]) 222; hymnodia[6]) 674; pol[7]) 757, 781.
Aul. pol[8]) 284.
Rud. pol[9]) 185; hercle[10]) 1390.
Curc. pol[11]) 602.

Ex Ennio

Ann. parma[12]) 611.
Trag. euhoe, euhoe[13]) 150; eu[14]) 439.

---

scil.) quod editiones praebent, cum res non tam perversa sit, ut minime explicari possit, ob codicum scripturam servare malim.

19) Speng. add.

1) Cur de hac voce, quae ad nomen proprium pertinet, omnino dicam, postea apparebit (p. 33 ann.); nunc rem videamus. Speng. Philippiari statiust. Nihiliphilippiari B. Nihili ph'ari (ri syll. man. rec.) C. Nihiliphiari D. Bene ad suam emendationem fulciendam Speng. explicat 'non machaera, inquit, tibi opus est ad pugnam sed Philippis'. At nove illud confictum vocabulum dubitationem affert. Nobis satius est rem in medio relinquere.

2) Speng. add.

3) Gepp. add.

4) DP manstructa halagoras amatum autem plenior nisi quod P amantum. In A non liquet. Gepp. Amans tractabilis ἀγορᾶς. Minime certum.

5) Gepp. add.

6) A post hymenaeum SITQ . . . . ODIA ceteri omm. Gepp. restituit sitque pulchra hymnodia. Mihi non satis certum ad meam rem.

7) Gepp. add.

8) Brix et Wagn. pol. Libri post.

9) Non satis certum.

10) Non magis certum.

11) 'pol' uncis inclusum a Fleck. et recte mihi videtur.

12) Vahl. cum Muell. ad Festum p. 43 versum restitutum Ennio attribuit. Mihi ad meam rem Ennius auctor non ita constare videtur, ut eo utar. Cf. quae in capite primo de maiore potestate editoris quam eius, qui editionibus utitur, dixi.

13) Pulchra emendatio, sed codices cum plane omiserint, ad nos non pertinet. Cf. item quae dixi in capite primo.

14) eu Vahl. et Ribb. hau Par. b. heu ceteri. eheu vulgo. Versus extat apud Varronem l. l. 7, 93 M. ubi haec leguntur:

Ex Pacuvio

aula[1]) 104; aula[2]) 114.

Ex Terentio

Heaut. Tim. hercle[3]) 187. **Ad.** hercle[4]) 268.

Ex Titinio

tapete[5]) 74.

Apud Plautum:

Euax, iurgio uxorem tandem abegi ab ianua;

euax verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est, ut apud Ennium:

Hehae, ipse clipeus cecidit;

apud Ennium:

Eheu, mea puella spei quidem id successit tibi.

(pro quo eu et e spe Ribb. et Vahl.)

apud Pompilium:

Heu, qua me caussa, Fortuna, infeste premis?

Mihi quidem Varro alia tria ac diversa exempla eorum, quae nihil significant, afferre voluisse videtur, cum aliter non 'hehae' cet. interposuisset, sed statim illud 'eu' cet. attulisset. Accedit quod 'eu' ad tragoediam pertinere non facile dixerim; aliud exemplum huius rei, quantum scio, non extat: comicorum vox est. Estne autem 'eheu', quod doloris est, sententiae accommodatum? Sane minime; at puto Ennium 'ehem', quod gaudii est, scripsisse. Ex 'ehem' vero mendum 'eheu' facile nasci potuisse manifestum est. Ac facilius quidem mihi videtur quam 'eu' ex 'eheu'.

1) aula Ribb. Libri aura. Ex panno illo versiculi 'ossuum inhumatum aestuosam — auram' (aulam Ribb.) — nihil conici posse arbitror.

2) aula Scal. et Ribb. Libri aura. Cur dici nequeat 'aura resonit crepitu musico' non patet. Nos quoque dicimus "die Luft wiederhallt". Quae antecedunt 'hymenaeum fremunt aequales' non obstant. Hymenaeus sub divo quoque ab aequalibus stantibus vel incedentibus cantari potuit.

3) Atque hercle etiam nunc Fleck. et Umpfenb. ATQ. ETIAMNUNC A cum rell.

4) A in superscriptione ercle. ercle a corr. rec. Item D. BCEFSP non habent.

5) Cod. rectius mecastor piculetae Postumae. Ribb. sectius Mecastor picto cum tapete Postumae. Alii alia coniecerunt. Cf. Ribbeckii annotationem.

Ex Attio

thyrsus[1]) 251; dia[2]) 417; echo[3]) 572.

Pars II.

Enumeratio vocabulorum.

Quaestionibus quas praemittendas duxi nunc iam absolutis ad ipsam enumerationem tralatorum et ex iis derivatorum transeam. Quam cum initio triplici modo instituere mihi proposuissem, primum ut appareant vocabula in singulis scriptoris uniuscuiusque operibus usurpata, tum ab unoquoque scriptore in universum adhibita, postremo uno conspectu omnia omnino apud omnes scriptores et in inscriptionibus usque ad Lucilii aetatem extantia, nunc verens ne triplex eorundem vocabulorum conspectus legentibus molestias afferat unum tantum, tertium illum ordine alphabetico confectum ante oculos pono. In eo vero me nec repetitionem vocabulorum[4]) nec ordinem temporum quo floruerint scriptores neglecturum, post ea quae iam in capite primo dicta sunt haud est quod denuo exponam. Addendum autem est me in nonnullis vocibus, velut ecastor, hercle, pol, edepol, mina[5]), quas cum singulis locis in quibus extant enumerare aut molestum aut non magni pretii

---

1) 'thyrsus' ex illis est, quae ipse Ribb. uncis inclusit annotatione addita 'uncis inclusa non extant in libris'.

2) tunc diomedes et libri. tun dia Medea es Passeratius, Herm. Elem. d. m. p. 159, Ribb. De emendationibus aliorum cf. quae Ribb. annotavit.

3) Cod. saeva sonando. Ribb. suauisona echo; Bergk saeuisona echo. Quamquam hae emendationes fragmentum nitidius reddunt quam Barthii 'saeva tonando' et Bentleii 'saeva Celaeno' a codicum scriptura tantum differunt, ut parum certae mihi videantur.

4) Vocabula ex fragmentis incertorum scriptorum a meo proposito aliena duxi, item quae conici tantum possunt a scriptoribus usurpata fuisse.

5) 'nummus' autem accuratissime cum singulis locis a me affertur, quod cum vox illa saepius in universum pro 'pecunia' adhibeatur locos omnes collectos habere interdum certe aliquantum valebit.

est, numerum tantum repetitionis afferre et vocabulis ex spuriis prologis Plautinis secundum Ritschelii egregiam disputationem de aetate horum prologorum (cf. Parerg. 180 sqq.) post Terentii vocabula locum dare. Quamquam non omnibus ex partibus cum Ritsch. facio sed cum Lorenzio (cf. Einl. z. Mil. 48 sqq.) ex prologo Militis v. 95—154 non reicio et ex Amphitruonis prologo v. 97 ad finem a Plauto profectum existimo. Postremo dicam me in vocabulis scribendis nec codicum discrepantiam nec diversas editorum rationes respicere sed usum vulgarem sequi. Res enim est altioris indagationis neque multum valet eam obiter tantum in hac enumeratione tangere.

A. [1]

abacus	Cat. r. r. 10, 4. 11, 3.
absinthium	Plaut. Trin. 935.
	Cat. r. r. 152.
acarna	Enn. heduph. 10.
adytus	Att. trag. 624.
aer	Plaut. Most. 112 [2]). As. 99.
	Enn. ann. 149. 439. Epich. 9. 10.
	Cat. orig. p. 12, 7.
aether	Enn. ann. 520. sat. 3. Euh. 36.
	Pac. trag. 89. 93.
aetherius	Host. bell. Histr. l. 1.
aethra	Enn. ann. 418.
agea	Enn. ann. 484.
agoranomus	Plaut. Mil. 727. Capt. 824. Curc. 285.
alcyon	Pac. trag. 393.
ampelina, orum	Caec. St. 138.
amphora	Naev. com. 124.
	Plaut. Mil. 824. Cas. 32.
	Cat. r. r. 10, 2. 11, 2, 3. 13, 2. 36. 57, 1. 88, 1. 93. 105, 2. 113, 2 quinquies. 115, 1. 120. 127, 1 bis.
	Titius ap. Macrob. sat. 2, 12.
ampulla	Plaut. Stich. 228. Per. 124.
ampullarius	Plaut. Rud. 756.
amulum	Cat. r. r. 87.
amurca	Cat. r. r. 36. 64, 2. 66, 1, 2 bis. 67, 2. 69, 1 bis, 2.

1) De editionibus cf. p. 27.

2) aer operam R. post Camer. per operam B. poperã CDF. que operam Z.

	91 bis. 92 bis. 93. 95, 1, 2. 96, 1. 97. 98, 1. 99. 100. 101 bis. 103. 128. 129. 130.
amurcarius	Cat. r. r. 10, 4.
anancaeum	Plaut. Rud. 363.
anchora	Naev. com. 52.
	Afr. 139.
anisus	Cat. r. r. 121.
antelogium	Plaut. Men. prol. 13.
apage	Plaut. Trin. 258. 266. 525. 537. 538. 838. Mil. 210. Bacch. 73 bis. 372. Pseud. 653. Most. 436 bis. 697. 845. Merc. 144. Epid. 657. Poen. 222. 846. Cas. 355. Amph. 311. 580. Capt. 208. Rud. 826. Curc. 598.
	Ter. Eun. 756. 904.
	Afr. 384.
aplustre (plur.)	Enn. ann. 590.
apolactizo	Plaut. Epid. 662.
apologus	Plaut. Stich. 538. 541. 544. 570.
architecto	Plaut. Mil. 919. Most. 760. Poen. 1098.
	Titin. 129.
architectus	Plaut. Mil. 901. 902. 915. 1139 bis. Truc. prol. 3. Amph. prol. 45.
arrhabo.	Plaut. Mil. 957. Most. 648. 918. 1013. Poen. 1343. Truc. 3, 2, 22. Rud. 46. 555. 861.
	Ter. Heaut. Tim. 603.
rhabo	Plaut. Truc. 3, 2, 20. 3, 2, 21.
artopta	Plaut. Aul. 397.
asparagus	Cat. r. r. 6, 3. 149, 2. 161, 1, 2, 3 bis, 4 bis.
astrologus	Enn. trag. 275.
astu	Ter. Eun. 987.
asymbolus	v. symbolus.
athletice	Plaut. Bacch. 248. Epid. 20.
atticissare	Plaut. Men. prol. 8.
aurichalcum	Plaut. Mil. 660. Pseud. 688. Curc. 202.

B.

baccha [1])	Naev. trag. 37.
	Plaut. Mil. 1016. Bacch. 53. 371. Merc. 469. Cas. 818

1) 'baccha' et postea etiam 'philippi' (a quo adiectivum cum 'auro' coniunctum non est segregandum) a me inter nomina propria non numerantur, cum id ipsum in quo nominum propriorum vis maxime sita est, ut rei ad arbitrium libidinemque neque ad eius naturam significandam — condicio qualis primis temporibus fuerit huc non pertinet — tribuantur, in iis non perspiciatur. De 'baccha' idem sentit Wagn. Aul. p. 121 no. 406.

	bis. 819. 820 bis. Aul. 406. Amph. 703. Vid. fr. 7 (cf. Prisc. l. 7 p. 738 P).
	Epist. cons. ad Teur. bacas (cf. C. i. L. 196, 4).
bacchanal	Plaut. Mil. 858. Bacch. 53. Aul. 406. 410.
	Epist. cons. ad Teur. bacanal, bacanalia, bacanalibus (cf. C. i. L. 196, 3, 4, 5).
bacchari	Plaut. Mil. 856. Amph. 703.
debacchari	Ter. Ad. 184. 185.
bacchicus	Naev. trag. 37.
badissare	Plaut. As. 706.
balaena	Plaut. Rud. 545.
balanus	Plaut. Rud. 297.
balinea vel **balineae**	Plaut. Trin. 406. Per. 90. Poen. 955 [1]).
	Caec. St. 98.
	Ter. Phor. 339.
balineae	Plaut. Most. 756. Merc. 126.
	Rud. 383. As. 357.
balineator	Plaut. Poen. 694. Truc. 2, 3, 4. Rud. 527.
ballista	Plaut. Trin. 668. Bacch. 709. 710. Poen. 199. Capt. 796.
	Caec. St. 27.
ballistarium	Plaut. Poen. 200.
barathrum	Plaut. Bacch. 148. Rud. 570. Curc. 121.
barbarus	Naev. com. 68.
	Plaut. Mil. 211. Bacch. 121. 123. Stich. 193. Most. 828. Rud. 583. Curc. 150.
	Caec. St. 59. 250.
	Cat. ad M. fil. p. 77, 6, 8.
	Att. trag. 636.
barbare	Plaut. Trin. prol. 19. As. prol. 11.
barbaria	Plaut. Poen. 589. Fener. fr. 1 p. 438 (cf. Fest. vapula Papiria).
barbaricus	Plaut. Cas. 619. Capt. 492. 884.
	Enn. trag. 120.
	Pac. trag. 270.
bardus	Plaut. Bacch. 1088. Per. 169. Epid. 410.
	Caec. St. 250.
basilica	Plaut. Curc. 472.
subbasilicanus	Plaut. Capt. 815.
basilicus	Plaut. Trin. 1030. Pseud. 458. Per. 31. Capt. 811. Rud. 435. Curc. 359.
basilicum	Plaut. Epid. 224.

1) "V. D in abaliniis, P in aballinis: scr. in balineis" Gepp.

basilice	Plaut. Per. 29. 462. 806. Epid. 55. Poen. 568.
batiaca [1])	Plaut. Stich. 694.
batiola	Plaut. fr. p. 436 (cf. Non. v. Batiola).
bdellium	Plaut. Curc. 101.
biclinium	Plaut. Bacch. 720. 754.
blennus	Plaut. Bacch. 1088.
blitum	Plaut. Pseud. 815.
bliteum [2])	Plaut. Cas. 619.
bliteus	Plaut. Truc. 4, 4, 1.
boia	Plaut. Capt. 888. As. 550 (plur.).
bolus	Plaut. Per. 658. Truc. 1, 1, 10. 4, 2, 12. 4, 3, 70. Rud. 360. Curc. 611. 612.
	Ter. Heaut. Tim. 673.
	Plaut. Poen. prol. 101.
bombax	Plaut. Pseud. 365.
bombus	Enn. inc. lib. 59.
buxus	Enn. ann. 268 inc. lib. 14. 15.

C.

cadus	Plaut. Mil. 851. 852. 854. 856. Stich. 425. 647. 683. 719. Poen. 254. Aul. 563. Amph. 430. As. 624.
calix	Plaut. Mil. 823. Capt. 916.
	Cat. r. r. 39, 1. 52, 1, 2 bis. 80. 133 bis.
caliculus	Cat. r. r. 108, 1.
camarus	Plaut. fr. 21 p. 445 (cf. Fest. v. narita).
campsare	Enn. ann. 334.
camter [3])	Pac. 48.
camus	Att. 302.
cantharus	Plaut. Bacch. 69. Stich. 693. 705. 710. 728. Pseud. 957. 1051. 1262. 1280. Men. 177. 187. Most. 347. Per. 801. 821. Rud. 1319. As. 906.
capparis	Plaut. Curc. 90.
carbasus	Enn. ann. 560.
carbasina, orum	Caec. St. 138.
carchesium	Liv. Andr. trag. 28.
carcinoma	Cat. r. r. 157, 4.
casia	Plaut. Curc. 101.
cataplasma	Cat. ad M. fil. p. 78, 7.

---

1) Batiochis BDZ. batiochis C. bathiochis F. BATIOC·I· A. Batiacis Turneb. et R. cf. de hoc loco Ritschelii annotationem, ubi argumenta satis firma huius emendationis collata sunt.

2) BLITEO A ceteri ritu. cf. Gepperti annotationem.

3) cāterem W. cancerem mss. Iunii. camterem Ribb.

catapulta	Plaut. Per. 28. Capt. 796. Curc. 394. 398. 690. Caec. St. 27. Titin. 125.
catapultarium	Plaut. Curc. 689.
causia	Mil. 1178 [1]). Per. 155 [2]).
cera	Plaut. Bacch. 715. 733. 748. 993. Pseud. 33. 36. 42. 56. Per. 528. As. 768. Curc. 410. Cat. r. r. 39, 1. Atta 13.
ceratus	Plaut. As. 763.
cereus	Plaut. Curc. 9. Titin. 160.
cercurus	Plaut. Stich. 368. 413. Merc. prol. 87.
cestus	Plaut. Bacch. 69.
cetus	Plaut. Aul. 373. Capt. 851.
cetarius	Ter. Eun. 257.
charta	Enn. ann. 229.
chiridotus	Corn. Scip. ap. Gell. 7, 12.
chlamys	Plaut. Mil. 1423. Pseud. 735. 1184. Men. 658. Per. 155. Merc. 910. 920. Epid. 421. Curc. 611. 632. Pac. trag. 116. Caec. St. 269.
chlamydatus	Plaut. Pseud. 963. 1101. 1139. 1143. Poen. 611. 635. Rud. 315.
choragium	Plaut. Capt. prol. 61.
choragus	Plaut. Trin. 858. Per. 159.
chorus	Naev. com. 75. Att. didasc. lib. 2 fr. 2.
cinaedus	Plaut. Mil. 668. Stich. 772. Men. 514. Per. 803. Poen. 1307. 1308. Aul. 419. As. 627. Corn. Scip. bis. ap. Macrob. sat. 2, 10.
cinaedulus	Corn. Scip. ap. Macrob. sat. 2, 10.
cinaedicus	Plaut. Stich. 760. 769.
cincinnus	Plaut. Truc. 2, 2, 32.
cincinnatus	Plaut. Mil. 923. Truc. 2, 7, 48. Capt. 648.
cinnamum	Plaut. Curc. 100.
cista [3])	Att. trag. 528.
cistella	Plaut. Rud. 1109. 1130. 1133. 1143. 1362. Cist. 360.

---

1) cause hanc BDF. causae hanc CZ. causiam Pius. R.

2) causiam R. praeeunte Pio. camsem B. causẽ CDF. causam Z.

3) castis concepta Par. a et b "ut videtur". castris concepta ceteri libri. cistis consepta Bergk et Ribb.

	377. 380. 397. 405. 416. 429. 430. 435. 456. 458. 463. 467. 489. 492. 493. fr. 69 p. 448 (cf. Fulg. v. cistella).
	Ter. Eun. 753.
cistellula	Plaut. Amph. 421. 773. Rud. 391. 1078.
cistula	Plaut. Amph. 783. 792. Rud. 389. 1082. 1085. 1088. 1119. Cist. 379.
cistellatrix	Plaut. Trin. 253.
citharistria	Ter. Ph. 82. 144.
citrus	Cat. orat. p. 55, 10.
citratus	Cass. Hem. ap. Plin. n. h. 13, 84.
citrosus	Naev. b. Pun. 61.
clatri	Cat. r. r. 4. 14, 2.
clatratus	Plaut. Mil. 379 1).
	Cat. r. r. 4.
clepta	Plaut. Truc. 1, 2, 9.
cochlea	Plaut. Poen. 523. Capt. 80.
	Cat. r. r. 158, 1.
coeliacus	Cat. r. r. 125.
colaphus	Plaut. (saepissime plur. num.) Per. 293. 846. Poen. 485. Capt. 88. Rud. 1007.
	Ter. Ad. 199. 245.
colax	Ter. Eun. 30.
collyra	Plaut. Per. 92.
collyricus	Plaut. Per. 95. 97.
colutea, orum	Plaut. Per. 87.
colyphia, orum	Plaut. Per. 92.
coma	Enn. ann. 352.
	Pac. trag. 350.
	Att. trag. 211. 674.
	Afr. 244.
comatus	tit. Scip. Asiag. (C. i. L. 36).
comarchus	Plaut. Curc. 286.
comicus	Plaut. Poen. 588. Capt. 778.
	Caec. St. 243.
	Plaut. Capt. prol. 61.
comici	Plaut. Per. 465. Poen. 572. Rud. 1249.
comissari	Plaut. Stich. 686. 775. Most. 317. 335. 989. Per. 568. Rud. 1422.
	Ter. Eun. 442.
	Afr. 107.

1) clarata libri. clatrata R.

comissator	Ter. Ad. 783.
comoedia	Plaut. Trin. 706. Pseud. 1081. 1240. Most. 1152. Poen. 1355. Amph. 870. 988. Capt. 1033. Cist. 512.
	Ter. Andr. 26. Heaut. Tim. 4. Hec. 866. Ph. 25. Ad. 6.
	Plaut. Mil. prol. 84. 86. Men. prol. 9. Merc. prol. 12. Poen. prol. 51. 53. Cas. prol. 9. 13. 30. 31. 64. 83. Truc. prol. 11. Amph. prol. 55. 60. 88. 96. As. prol. 13.
	Titin. 81.
comoedice	Plaut. Mil. 213.
concha	Plaut. Rud. 297. 304. 704 bis. inc. fab. fr. 21 p. 445.
	Cat. r. r. 13, 2. 66, 1. 156, 4.
	Afr. 142.
conchita	Plaut. Rud. 310.
condalium	Plaut. Trin. 1014. 1020.
condepsere	v. depsere.
conger	Plaut. Mil. 760. Per. 110. Aul. 396.
	Ter. Ad. 377.
congerro	v. gerro.
congius	Cat. 57, 1 bis, 2. 95, 1. 106, 2. 107, 1. 122. 123. 126.
congiarius	Cat. orat. p. 37, 16.
congraecare	Plaut. Bacch. 743.
contechinari	v. techina.
coriandrum	Plaut. Pseud. 814.
	Cat. r. r. 119. 157, 6, 7.
corylus	Cat. r. r. 18, 9.
cothurnus [1]	Liv. Andr. trag. ap. Terent. Maur. 1935.
cottabus (plur.)	Plaut. Trin. 1011.
cotula	Cat. 146, 1.
crapula	Plaut. Pseud. 1282. Most. 1122. Rud. 586.
crapularius [2]	Plaut. Stich. 230.
cratera } creterra }	Enn. ann. 502. 604. Naev. b. Pun. 18 trag. 47.
crepidula	Plaut. Per. 464.
creta	Plaut. Truc. 2, 2, 39. Aul. 710.
	Cat. r. r. 34, 2. 39, 2. 40, 2.
	Titin. 29.
cretosus	Cat. r. r. 8, 1. 128.
crocinum	Plaut. Curc. 101.

---

1) Silentio non praetermittendum est hoc vocabulum ex loco Terentiani Mauri petitum esse, quem Hauptius Observ. crit. p. 43 rationibus haud spernendis a Livio abiudicavit.

2) CRAPULARIAS A. pullarias BCD. ampullarias FZ.

crocota	Naev. trag. 48.
	Plaut. Aul. 511 [1]).
crocotula	Plaut. Epid. 223.
crotalum	Corn. Scip. ap. Macrob. sat. 2, 10.
succrotillus	Titin. 171.
	Afr. 126.
culigna	Cat. r. r. 132, 1 bis. orat. p. 73, 14.
culleum	Cat. orig. p. 10, 22.
culleus	Plaut. Pseud. 212. 214. Vid. fr. 14 (cf. Fulg. v. culleus).
	Cat. r. r. 11, 1, 2 bis. 23, 2, 3 bis. 24, 1. 113, 2. 148, 1. 154 bis.
cullearis	Cat. r. r. 154.
cumatilis	Titin. 114.
cumatile (subst.)	Plaut. Epid. 225.
cumba	Afr. 138.
cuminum	Cat. r. r. 119. 121. 156, 3, 5, 7. 157, 9.
cummis	Cat. r. r. 69, 2 ter.
cunila	Plaut. Trin. 935.
cupressus	Enn. ann. 267. trag. 446.
	Cat. r. r. 17, 1. 28, 1. 48, 1, 2. 151, 1, 2.
cupressetum	Cat. r. r. 151, 1.
cyathus	Plaut. Stich. 706. Pseud. 957. Per. 771. 772. 794. Rud. 1319.
	Ter. Ad. 591.
	Cat. r. r. 109. 114, 2. 115, 2. 122. 123. 157, 12. 158, 2.
cyathissare	Plaut. Men. 303. 305.
cylindrus	Cat. r. r. 129.
cymbalissare	Cass. Hem. ap. Non. p. 90 v. cymbalissare.
cynicus	Plaut. Per. 123.
cynice	Plaut. Stich. 699.

D.

daedalus (adiect.)	Enn. inc. lib. 21.
danista	Plaut. Pseud. 287. Most. 537. 623. 917. Epid. 52. 54. 110. 137. 244. 338. 592. 606. 630.
danisticus	Plaut. Most. 658.
dapsilis	Plaut. Pseud. 396. 1266. Most. 982. Truc. 1, 1, 34. Aul. 165.
dapsiliter	Naev. com. 39.
debacchari	v. bacchari.
degrumare	Enn. ann. 434.
delphinus	Att. trag. 404.

1) Wagn. versum addidit e Nonio. cf. eius disputationem p. 22.

demarchus	Plaut. Curc. 286.
depsere	Cat. r. r. 40, 4. 41, 4. 76, 1, 2. 90 ter. 135, 3 bis.
condepsere	Cat. r. r. 40, 2. 76, 2, 3.
deruncinare	v. runcinare.
diabathrum	Naev. trag. 60.
diabathrarius	Plaut. Aul. 508.
diadema	Cat. orig. p. 28, 13.
dica	Plaut. Poen. 791. Aul. 753.
	Ter. Ph. 127. 329. 439. 668.
diobolaris	Plaut. Poen. 265. Clit. fr. 7 (cf. Varr. l. L. 7, 64).
discus	Plaut. Bacch. 67 [1]). 428. Most. 152.
do	Enn. ann. 563.
drachuma	Plaut. Trin. 425. Pseud. 86. 88. 91. 93. 808. Merc. 777.
	Enn. trag. 359.
	Ter. Andr. 451. Heaut. Tim. 601.
	Cat. r. r. 127, 2 bis.
draco	Enn. trag. 314.
	Att. 596. Phil. fr. 22.
drapeta	Plaut. Curc. 290.
dulice [2])	Plaut. Mil. 213.
dynamis	Plaut. Pseud. 211.
dyspepsia	Cat. r. r. 127, 1.

E.

ecastor	Plaut. centies bis. Ter. sexies. Titin. bis.
mecastor	Plaut. decies sexies. Ter. semel. Titin. semel.
echinus	Plaut. Rud. 297. Par. pig. fr. 3. inc. fab. fr. 21 p. 445 (cf. Fest. v. narita).
	Enn. heduph. 11.
	Afr. 142.
edepol	v. pol.
elephantus	Plaut. Mil. 25. 30. 235. Stich. 168. Curc. 424.
	Enn. ann. 237. 591.
	Ter. Eun. 413.
eleutheria	Plaut. Stich. 422. Per. 28.
elleborum	Cat. r. r. 157, 12.
elleborus	Plaut. Pseud. 1185. Men. 913. 950.
elleborosus	Plaut. Most. 952. Rud. 1006.
elogium	Plaut. Merc. 409 [3]).
	Cat. orig. p. 19, 18.

---

1) "habuerunt omnes 'uisco': Longolius. Quod quo spectet prorsus latet" R. Recepit emendationem 'uisco'.

2) 'dulce' libri.

3) elegiorum DcZ. elegeorum F. cf. Ritschelii annotationem.

emplastrum	Cat. r. r. 39, 1.
emporium	Naev. b. Pun. 74. Plaut. Amph. 1013.
enchytus	Cat. r. r. 80.
ephebus	Ter. Andr. 51. Eun. 824. Plaut. Merc. prol. 40 [1]). 61.
epichysis	Plaut. Rud. 1319.
epicrocus	Plaut. Per. 96.
epicrocum	Naev. trag. 60.
epidromus	Cat. r. r. 13, 1.
epistata	Cat. r. r. 56.
epistula	Plaut. Trin. 774. 788. 816. 848. 874. 894. 896. 898. 949. 951. 986. 1002. Mil. 1225. Bacch. 176. 561. 1001. Pseud. 647. 670. 690. 716. 983. 987. 990. 993. 997. 998. 1001. 1008. 1011. 1097. 1202. 1203. 1209. Per. 694. Epid. 57. 129. 246. Poen. 826. Truc. 2, 4, 43. As. 761. 762. Ter. Ph. 67. 149. Turp. 196. Cat. orat. p. 39, 11.
epitheca [2])	Plaut. Trin. 1025.
epityrum	Plaut. Mil. 24. Cat. r. r. 119.
eu	Plaut. Mil. 394 [3]). 898. 1146. Men. 160. 176 [4]). Per. 156. 667. 706. Merc. 601. Truc. 3, 2, 27. Rud. 415. 821. Ter. Eun. 154. Ph. 398. 478. 869. Titin. 59. Plaut. Truc. prol. 7 [5]).
euax	Plaut. Bacch. 247. 724. Men. 127. Cas. 696. Curc. 97.
euge	Plaut. Trin. 705 bis. Mil. 213. 241 bis. 967. Bacch. 995. 1105. Stich. 660. 766 bis. Pseud. 323. 712. Most. 260. 311. 339. 586. 638. 686. 1076. Per. 90. 462 [6]). 557. Merc. 283. Epid. 348. 482 bis. Cas. 282. Truc. 1, 2, 84. 2, 6, 22. Aul. 669 bis [7]).

---

1) cf. Ritsch. annot. vox autem ‘ephebus’ non multum tangitur.

2) libri ‘apotheca’.

3) heus libri. “Quid in A sit non liquet”. R.

4) “— MUSEU in huius versus fine apparuit in A. Unde Eu quod reliqui ignorant, praeposui proximo versui” R.

5) ‘eu’ Speng. Eũ B. eum CD. cf. Spengelii annotationem.

6) euge R. libri euge euge.

7) fuge fug‘e BJj. cf. Wagn.

Amph. 802. Capt. 823. Rud. 164 bis. 1037. As. 555.
Ter. Andr. 345. Heaut. Tim. 677. Ad. 911.

eugepae — Plaut. Stich. 381. Pseud. 692[1]). 743. Merc. 626. Amph. 1019[2]). Capt. 274. Rud. 171. 442[3]).
eugeueus — Cat. r. r. 6, 4.
euhau — Enn. trag. 150.
euhium — Enn. trag. 150.
eunuchus — Ter. Eun. 167. 231. 356. 365. 375. 472. 479. 569. 573. 653. 657. 722. 821. 822. 949. 983. 991. 992.
euoe[4]). — Plaut. Men. 836.
euscheme — Plaut. Trin. 625[5]). Mil. 213[6]).
exagoga — Plaut. Truc. 2, 7, 2. 4, 2, 6. Rud. 631.
exbola — Naev. com. 103.
exo — Plaut. Truc. 2, 7, 7.
exoticus — Plaut. Men. 236. Most. 42.
  exoticum — Plaut. Epid. 224.

F.

fortax — Cat. r. r. 38, 1.
frygio — v. phrygio.
fucus — Plaut. Most. 275. Capt. 521. Par. pig. fr. 4 (cf. Prisc. l. 10 p. 893 P).
Ter. Eun. 589.
  offucia — Plaut. Capt. 656.

G.

gaulus — Plaut. Rud. 1319.
gerrae — Plaut. Trin. 760. Epid. 205. Poen. 135. As. 600. Caec. St. 191.
gerro — Ter. Heaut. Tim. 1033.
  congerro — Plaut. Most. 931. 1049. Per. 89. Truc. 1, 2, 7.
geuma[7]) — Plaut. Poen. 692.

---

1) Eugepae: porro aliut R. Acidalium secutus. "Euge par pari aliud libri, sed r. pari a e corr. B" R.

2) eugepae V. C. Pall. euge. Fleckeis. quoque 'eugepae'.

3) Sic Fleckeis. Alii editores euge.

4) Euoe Bacche: heu Bromie R. Eubiatqueheu bromie C. E ubi atq' heu bromie D. Eum atq' heu bromie B cet. cf. R.

5) in eusce mea B. in eus ce mea C. in eusce mea DE. iuxta me FZ. ei euscheme R.

6) uscheme vel huscheme vel uescheme codd.

7) "codd. praeter A omnes egeumatis" Gepp. 'Geuma' igitur 'ec-

glaucoma	Plaut. Mil. 148.
glaucus	Enn. heduph. 6.
	Att. trag. 257.
gonger	v. conger.
graecissare	Plaut. Men. prol. 7.
graphicus	Plaut. Trin. 936. 1024. Stich. 570. Pseud. 519. 700. Epid. 400.
pergraphicus	Plaut. Trin. 1139.
graphice	Plaut. Trin. 767. Per. 306. 464. 843.
gymnasium	Plaut. Bacch. 427. Epid. 190. Aul. 405. Amph. 1012. As. 297.
gymnasticus	Plaut. Most. 151 [1]). Rud. 296.
gynaeceum	Plaut. Most. 755. 759. 908.
	Ter. Ph. 862.
gypsum	Cat. r. r. 39, 1.

H.

harpagare	Plaut. Bacch. 657. Pseud. 139. 957. Aul. 199.
harpago	Plaut. Trin. 239.
harpax [2])	Plaut. Pseud. 654.
helops [3])	Enn. heduph. 6.
hemina	Plaut. Mil. 831.
	Cat. r. r. 57, 1 bis. 71. 102. 107, 1. 126. 127, 2. 156, 3, 4.
hemisphaerium [4])	Naev. ap. Varr. l. L. 7, 7.
hepatiarius	Plaut. Curc. 239.
hercle	Naev. semel. Plaut. sexcenties vicies semel. Enn. semel. Caec. St. ter. Ter. novies et nonagies. Titin. ter. Turp. bis. Plaut. prol. spur. octies.
mehercle	Plaut. quater. Ter. bis.
me hercules	Cat. semel.
hermafroditus	Titin. 112.
heureta [5])	Plaut. Pseud. 700.

---

cheumati' quod alii editores praebent et Saalf. quoque recepit praeferendum videbatur, praesertim cum vox ἔκχευμα non extet.

1) versus uncis inclusus est a Ritsch.

2) "harpax feceris libri cum A: quod vix sanum". R.

3) In codicibus aelopem, telopen, elepen, elopen. Vahlenum sequor.

4) 'in hyemis ferium F. hyemis (hiemis H) ferium (ferum b) cett. codd.' M.

5) heureta is R. libri heuretes.

hilaris	Plaut. Most. 318. Poen. 1351.
	Ter. Ad. 287 [1].
hilarus	Plaut. Mil. 1199. Stich. 739. Most. 567. Per. 760. Epid. 403. Amph. 963. Rud. 420. As. 837. 850.
	Caec. St. 76. 79. 108.
	Ter. Ad. 756. 842.
hilaris vel } hilarus }	Plaut. Mil. 666 (superl.). Stich. 739 (compar.).
	Ter. Eun. 731 (compar.).
hilare	Plaut. Merc. prol. 99.
	Afr. 249. 316 [2].
hilarissume	Plaut. Men. 149.
hilaritudo	Plaut. Mil. 677 [3]. Rud. 422.
hippodromus	Plaut. Bacch. 431. Cist. 273. 276.
historia	Plaut. Trin. 381. Bacch. 158. Men. 248.
	Cat. orig. p. 19, 18.
hora	Aquil. 1.
	Ter. Eun. 341. Ph. 514.
horaeum	Plaut. Capt. 851.
hymen	Plaut. Cas. 668 bis. 676 bis. 677 [4].
hymenaeus	Plaut. Cas. 667. 668. 674. 676.
	Pac. 113.
	Ter. Ad. 905. 907.
	Turp. 166.

I.

ictis	Plaut. Capt. 184.
iris	Cat. r. r. 107, 1 bis.
ischiaci	Cat. r. r. 123.

L.

lagena	Plaut. Curc. 78.
	Cat. r. r. 122. 123.
lampas	Plaut. Men. 842. Cas. 664. 701. Cond. fr. 1 p. 437 (cf. Varr. l. L. 7, 77).

---

1) Umpfenb. scribit 'hilarem' haec afferens: "Prob. Cathol. p. 15: 'hilaris' legi et 'hilarus' in Terentio. — Charis. p. 200. Hilariter ab eo quod est hilaris, hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terenti Adelphis ubi T. „'hilarem' hunc sumamus" inquit „diem". Palmerius et Fleckeis. 'hilare'.

2) "hilare Neukirchius. hilarem cod. hilaram Bentl."

3) hilaritudine e Nonio Camer. hilaritus me CDFZ. hilarissime B. R. Camerarium sequitur.

4) Codices praeter A, de quo non liquet hymenaeum. Gepp. hymen.

	Ter. Ad. 907.
	Att. 331. 670.
latro	Plaut. Mil. 74. 76. 949. Bacch. 20 [1]). Stich. 135. Poen. 654. 657. Curc. 548.
	Enn. ann. 60. 528.
latrocinari	Plaut. Trin. 599. Mil. 499. Poen. 695. Cornic. fr. 2 p. 437 (cf. Varr. l. L. 6. 3).
lautomiae	Plaut. Poen. 817. Capt. 723.
lembus	Plaut. Bacch. 279. 281. 286. 305. 958. Men. 442. Merc. 193. 259.
	Turp. 98. 124.
	Att. trag. 129.
lenias [2])	Afr. 187.
lepista	Naev. b. Pun. 18.
liroe [3])	Plaut. Poen. 135 bis.
logi	Plaut. Stich. 221. 383. 455. Men. 779. Per. 394 [4]).
	Ter. Ph. 493.
	Turp. 11.
lopas	Plaut. Cas. 389 [5]). Rud. 297. Par. pig. fr. 3 p. 440 (cf. Non. v. lopades).
lychnus	Enn. ann. 328.

M.

machaera	Plaut. Mil. 5. 53. 459. 463. 469. 1423 [6]). Bacch. 68. 887. Pseud. 593. 735. 1181. 1185. Merc. 926. Truc. 2, 6, 25. 2, 7, 66. 5, 1, 35 [7]). Rud. 315. Curc. 424. 567. 574. 632. fab. inc. nom. fr. 29 p. 446 (cf. Non. v. frendere).
	Enn. ann. 392. 585. trag. 212.

---

1) Serv. in Aen. 12, 7 'idem in Bacchidibus exsecutus est militem latronem dicens suam qui auro vitam venditat'. Ex quo restituit R. Latronem cet.

2) Non. 544, 31 'lineas vasi genus. Afr. Fratr. labelli lenis.' 'lineis Non. legisse videtur' Ribb. Ipse Ribb. scripsit labella e balineis.

3) Gepp. λῆροι λῆροι. D lirae lire. V lyrae lire. P lyrae lyrae.

4) "logi Asc. edd. Pii et Saraceni. LAG-I A 'longi' reliqui" R.

5) "V, Pal. 6, P et Prisc. lepidas. Lg. lepulas; Pall. cet. vocem omm. Ser. lopadas" Gepp.

6) machaera ne quid Camer. et R. macrane quid BCDa. mucrone quam F. mucrone qui Db cum reliquis.

7) hac machaera Speng. ui in macera BD, sine 'in' C.

	Caec. St. 69.
	Att. didasc. l. 8 fr. 1.
machina	Plaut. Mil. 813. Bacch. 232. Pseud. 550. Per. 785.
	Pac. 379.
	Caec. St. 207.
machinari	Plaut. Bacch. 232. Cas. 174. 197. Capt. 723.
maena	Plaut. Poen. 1301.
	Cat. r. r. 23, 1. 88, 2.
magudāris	Plaut. Rud. 633.
malacissare	Plaut. Bacch. 73.
malacus	Naev. trag. 48.
	Plaut. Mil. 668. 687. Bacch. 71. 355. Stich. 230. Truc. 2, 7, 48.
	Enn. sota 1 [1]).
malaculus	Plaut. Cas. 703.
manticinari	Plaut. Capt. 896.
marsupium	Plaut. Men. 254. 265. 384. 386. 701. 1036. 1043. Per. 125. Epid. 178. 500. Poen. 773. 775. Cas. 386. Rud. 547. 1313.
massa	Plaut. Mil. 1065.
mastigia	Plaut. Trin. 1022. Most. 1. 741. Poen. 374. Cas. 257. 342. Capt. 600. 659. Rud. 1022. Curc. 567.
	Ter. Ad. 781.
melanurus	Enn. heduph. 7.
melinum	Plaut. Most. 264.
melos	Naev. trag. 25.
	Pac. 312.
	Att. trag. 238. 405.
menta	Cat. r. r. 119. 157, 6.
metreta	Plaut. Merc. prol. 75.
	Cat. 100 ter.
mina	Plaut. centies vicies septies.
	Ter. decies octies. Cat. bis.
mina philippea	Plaut. semel.
mitra	Afr. 37.
moechissare [2])	Plaut. Cas. 815.
moechus	Plaut. Mil. 775. 924. 1131 [3]) 1390. 1398. 1436 bis. Bacch. 918. Poen. 852. Truc. 2, 7, 48. Amph. 135.

---

1) mala ciuere Flor. Haun. Varronis. mala cluere Darmst. Vat. mala ducere Gorlic. Censorini.

2) Pall. 1, 6 et P moechus sat, 2. medus sat, 3. mecus sat, 4. mecus stat.

3) mecum BCDF. meum Z. moechum Camerarium secutus R.

